



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secunda. Vtrum generatio filij & processio spiritus sancti sint  
emanationes distinctæ realiter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)



### Magistri Durandi de

ter accipi, vno modo idem est quod ens non ab alio & sic non conuenit Spiritui sancto. Alio modo ingenuus est id quod est ab alio, non tamen per generationem, & sic conuenit Spiritui sancto, & hoc confirmat per Hieronymum qui non natum attribuit patri & Spiritui sancto. Et in hoc terminatur sententia in speciali.

### QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum in diuinis sit aliqua processio.

*Tho. 1. q. 27. ar. 1.*

**C**irca distinctionem istam queruntur tria. Primum est vtrum in diuinis sit aliqua processio. Secundum est vtrum generatio filii & processio Spiritus sancti sint emanationes distincte realiter. Tertium est vtrum Spiritus sanctus possit dici ingenuus. Ad primum sic proceditur. Et videtur quod in diuinis non sit aliqua processio, quia vel esset localis vel causalis, non localis quia non est ibi motus personæ de loco ad locum, nec causalis, quia in diuinis non est causa & causatum, quare, &c.

2 Item si in diuinis aliqua esset processio, aut est eadem cum generatione tantum & ita non conueniret Spiritui sancto quod non est verum cum dicat Athanasius in symbolo quod Spiritus sanctus non est genitus sed procedens, aut diuiditur contra generationem. Et ita non conueniret filio quod similiter non est verum, cum filius dicat Ioan. 8. Ego enim ex Deo processi & veni, aut esset in plus & tunc ut videtur non deberet appropriari Spiritui sancto, quare, &c.

3 **IN CONTRARIUM** est quod dicitur Ioan. 15. Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis spiritum veritatis qui a patre procedit.

4 **RESPONSIO.** duo sunt hic declaranda. Primum est quomodo processio fit in diuinis. Secundum est quare appropriatur Spiritui sancto, vtrumque enim in argumentis tangitur. Quantum ad primum sciendum est quod nomen processionis videtur primo fuisse impostum ad significandum motum progressuum animalium quo mouent seipsa, & sic dicitur processio quasi propter virtutem incesio. Inde translatum est ad significandum omnem localem motum & mutationem quæ est ex quodam in quiddam. Et postremo ad omnem emanationem secundum quod aliquid est ab alio ut a causa sua vel principio. dicimus enim quod effectus procedit a sua causa, & vniuersaliter quælibet res procedit a suo principio, nullo autem dictorum modorum processio est in diuinis nisi tantum vltimo modo, & hoc exclusis imperfectionibus quæ sunt ex processionibus creaturarum ex causis suis quæ ibi sunt ratione motus, aut mutationis, aut diuersitatis essentia, ut in creatione quibus exclusis de ratione processionis solus est quod procedens sit ab alio. Exclusis enim ab actione omni motu ex mutatione & inuolutione remanent soli respectus a quo, aliud & quod ab alio, hæc autem reperiuntur in diuinis, ergo, &c. Ex quo patet primo quod processio solum dicitur in diuinis de emanatione passiva, quia illi solum conuenit procedere cui conuenit ab alio esse, hoc autem non conuenit nisi producto, ergo processio non conuenit nisi producto. Secundo patet quod processio quantum est de vi nominis communis est emanationi filii & Spiritui sancti, quia esse ab alio est commune filio & Spiritui sancto, ergo & processio, & sic patet primum.

5 **QVANTVM** ad secundum sciendum est quod licet processio ut statim dictum est quantum est ex vi nominis communis sit filio & Spiritui sancto, tamen appropriatur emanationi Spiritui sancti, emanatio enim filii habet proprium nomen & vocatur generatio. Ratio autem appropriationis est triplex, vna est penuria nominis in his quæ pertinent ad Spiritum sanctum. Et ideo emanatio eius retinet commune nomen cum deficit proprium.

6 Secunda est ex conuenientia nominis processionis. Significat enim primo modo motum voluntarium accipiendum voluntatem pro appetitu sequente cognitionem, Spiritus autem sanctus procedit per modum voluntatis. Et ideo conuenienter appropriatur ei nomen processionis.

7 Tertia quia Spiritus sanctus procedit a pluribus quam filius. procedit enim non solum a non procedente ut filius qui est a solo patre, sed etiam a procedente & non proce-

### Sancto Porciano

dente, quia procedit a patre & filio, propter quod quasi per excellentiam competit ei processio.

8 Ad primum argumentum dicendum quod non est in diuinis processio localis & causalis proprie loquendo, quia causa & causatum non sunt ibi, sed est ibi processio quæ est principium a suo principio.

9 Ad secundum dicendum quod processio communis est emanationi filii & Spiritui sancti, sed propter dictas causas appropriatur emanationi Spiritui sancti.

### QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum generatio filii & processio Spiritus sancti sint emanationes distincte.

*Tho. 1. q. 29. ar. 3. co. 4. q. 28.*

**A**D Secundum sic proceditur. Et arguitur quod generatio filii & processio Spiritus sancti non sunt emanationes realiter distincte, quia in rebus perfectis non est nisi vnus modus communicandi naturam sicut in homine & in animalibus perfectis, quantum in imperfectis ut in muribus aliud sit, sed diuina natura est perfectissima, ergo non est nisi vnus modus communicandi eam. Non sunt ergo in diuinis plures processionis realiter distincte.

2 Item si inter processionem esset in diuinis realis distinctio, aut esset ex parte essentia, aut ex parte relationum cum non sint plura in diuinis. Non ex parte essentia, quia illa est vna tantum, nec ex parte relationum, quia secundum Boetium de Trin. omnia in diuinis sunt vnum vbi non obuiat oppositio relationis, sed inter processionem non est oppositio relationum, ergo nec realis diuersitas.

3 **IN CONTRARIUM** est, quia secundum vnam processionem est tantum vnus procedens, sed in diuinis sunt duæ personæ procedentes realiter distincte, ergo sunt duæ processionis realiter distincte.

4 **RESPONSIO.** cum processio in diuinis non sit motus vel mutatio media inter personam procedentem & illam a qua procedit, sed dicat solum respectum ut quod est ab alio cui responderet oppositus respectus ut a quo est aliud qui respectus constituunt personas & distinguunt, patet quia generatio actiua est idem quod paternitas vel relatio paternitatis, & generatio passiva est idem quod filiatio vel relatio filiationis. Spiritus autem siue actiue siue passiuæ accepta est idem cum relationibus correspondentibus, nisi ergo velimus gratis contendere, non est aliud querere de diuersitate istarum processionum secundum rem quam querere de diuersitate relationum, licet aliam rationem intelligendi habeant hæc & illa, possumus ergo comparare generare ad spirare & generari ad spirari, & sic manifesta est istorum realis diuersitas, cum includant formalem oppositionem ut de se patet, sicut manifesta est realis differentia inter paternitatem & filiationem, & inter relationem spirationis actiue & relationem spirationis passiuæ quæ directe sibi inuicem opponuntur. Vel possumus comparare generare ad spirare & generari ad spirari, & sic difficilius est assignare quomodo differunt cum non opponantur formaliter, sicut difficile est assignare quomodo differunt paternitas & communis spiratio & similiter quomodo differunt filiatio & spiratio passiva.

Circa quod proceditur, sic quia primo proponitur quiddam modus qui a multis reputatur verus. Et secundum arguetur contra illum modum. Et respondebitur ad rationes probantes illum. Et tertio ponetur alius modus quem etiam multi ponunt.

5 **QVANTVM** ad primum sciendum, quod quidam dicunt quod generare & spirare non differunt realiter, generari tamen & spirari differunt realiter, quod probat ex duabus suppositionibus quales declarauerunt. Prima est, quod ea quæ sunt in diuinis in eodem supposito non differunt aliquo modo realiter. Secunda est quod in diuinis non est differentia realis nisi per relationes oppositas. Prima probatur tripliciter. Primum sic, vbicumque sunt plura realiter diuersa, quorum quodlibet est subsistens ibi plura sunt supposita (quia suppositum non videtur plus includere nisi aliquid subsistens ab aliis distinctum.) Sed in diuinis vbicumque sunt plura realiter diuersa ibi quodlibet eorum est subsistens, quia in diuinis nihil est inherens secundum rem: aliquin esset ibi compositio, ergo in diuinis

vbi



vbicung sunt plura realiter diuersa ibi sunt plura supposito necessaria, non possunt ergo differre realiter que sunt in eodem supposito.

6 Secundo sic, quæcunq; prædicantur de se inuicem nõ solum in cõcreto, sicut in creaturis, sed etiam in abstracto sicut idem realiter, sed in diuinis quæcunq; sunt in eodem supposito prædicantur de se inuicem non solum in cõcreto sicut in creaturis, sed etiam in abstracto, ergo sunt idem realiter.

7 Tertio sic, sicut se habet essentia ad omnia que sunt in diuinis, quia est omnibus communis, ita se habet quodcunq; aliud quod est pluribus cõmune ad ea quibus est cõmune, sed essentia diuina non ponit in numerum realem cum aliquo quod sit in diuinis, quia cum omnibus fiat in eodem supposito, ergo similiter alia que sunt pluribus suppositis communia (vt communis spiratio que conuenit patri & filio) non ponit in numerum reale cum aliquo quod sit in patre & filio, sed est vnum realiter cum omni eo quod cum ipsa est in eodem supposito, similiter est de omnibus que sunt in eodem supposito.

8 Secunda suppositio probatur dupliciter. Primo sic. Quæcunq; sunt impossibilia in eodem supposito habent inter se aliquam oppositionem, vnde & formæ que sunt impossibiles includunt aliquo modo naturam priuationis & habitus, sed vt statim est ostensum quæcunq; distinguuntur realiter in diuinis sunt impossibilia in eodem supposito, ergo quecunq; distinguuntur in diuinis realiter, habent inter se aliquam oppositionem, sed non est ibi oppositio nisi relationum originis, ergo &c.

9 Secundo sic illa que conueniunt in omnibus in quibus non opponuntur non possunt differre nisi per oppositionem, sed in diuinis supposita cõueniunt in omnibus in quibus producte non opponuntur, quod patet per Anselmum qui dicit quod persona produens necessario cõmunicat personæ productæ omnia in quibus ei non opponitur, ergo nulla potest esse in diuinis realis differentia nisi per oppositionem.

10 His duabus suppositionibus sic probatis facilliter probant principale intentum. Et primo quod generare & spirare non differunt realiter, quia que sunt in eodẽ supposito nõ possunt in diuinis differre realiter, sed generare & spirare sunt in eodem supposito, scilicet in patre, ergo, &c. Per eandem rationem dicit quod generari & spirare non differunt realiter, quia conueniunt filio.

11 Item que non habent oppositionem non distinguuntur realiter, sed spirare non habet oppositionem ad generare nec ad generari, ideo non distinguuntur realiter ab eis, minor de se patet, & maior etiam per secundum suppositum, quare, &c.

12 Item si generare & spirare differunt realiter cum conueniant quod generari & spirari realiter differant, sequitur quod in diuinis esset quaternitas rerum. Hoc autẽ vt isti dicunt est erroneum & condemnatum in concilio generali, vt habetur extra de summa tri. & si, ca. c. damnamus, vbi dicitur quod in Deo solummodo ternitas nõ quaternitas est, quare, &c.

13 Secundo probant quod spirari differt realiter à generari sic, quæ includunt oppositionem relatiuam sunt realiter diuersa, sed generari & spirari includunt oppositionem relatiuam, ergo, &c. Maior patet ex præcedentibus, minor probatur, quia productum & produens in quantum huiusmodi, opponuntur relatiuè, sed spiratus est per se à genito vt demonstratum fuit in præcedente distinctione, ergo opponuntur relatiuè, & per consequens generari & spirari relatiuè opponitur cum idem sit iudicium de emanationibus & terminis earum vt supra dictũ fuit. Si tamen spiratus opponitur genito quia est ab ipso, necesse est quod opponatur generati, quia est ab ipso saltem mediante genito, & ita spiratus differt realiter à genito & spirante & spirari à generari & generare, quia aliquo modo opponuntur, & hæc est opinio & hoc quantum ad primum.

14 **Q**UANTVM ad secundum sciendum, quod aliis & magnis visum est, & adhuc videtur quod prædicta opinio deficit in positione & in rationibus positionis. In positione quidem quantum ad hoc quod ponit quod generare

& generari nullo modo differunt realiter à spirare, nec per cõsequens paternitas & filiatio differunt realiter à communi spiratione, quia idem est iudicium de emanationibus & relationibus, vt à principio dictũ fuit. Quod patet primo sic, illa que non possunt conuenire eidem respectu eiusdem nõ sunt vnũ & idem realiter (saltem relata) quia relationis est ad aliud esse, sed spirare vel generare vel generari non possunt conuenire eidem respectu eiusdem, generare enim competit patri respectu filii tantum: Spirare autem non competit patri respectu filii, sed solum respectu Spiritus sancti. Rursus generari & spirare competit filio, sed generari tantum respectu patris, spirare tantum respectu Spiritus sancti, ergo spirare non est idem realiter saltem re relata cum generare & generari.

15 Secundo sic, sicut se habet generare ad generari ita spirare ad spirari, ergo permutata proportione sicut se habet generare ad spirare ita se habet generari ad spirari, sed generare & spirare non differunt realiter vt isti dicunt, ergo nec generari & spirari cuius oppositum diunt.

16 Tertio sic, & est ad idem, duabus relationibus disparatis specie vel quasi specie differentibus correspondent duæ relationes disparatæ specie vel quasi specie realiter differentes, sed generari & spirari sunt duæ relationes specie vel quasi specie differentes realiter, ergo relationes que eis correspondent, scilicet generare & spirare specie vel quasi specie differunt, & ita realiter differunt cum sint relationes rei non rationis. maior patet quia eadem relatio secundum speciem non opponitur pluribus relationibus secundum speciem, minor etiam de se patet, & ex dicto aduersariorum, quare, &c.

17 Quarto sic, quæcunq; vni & eidẽ sunt eadem, inter se sunt eadem saltem illo modo quo sunt eadem in tertia, & hoc est necessariũ cum oppositum implicet cõtradictionem. Cum ergo secundum istos generare & generari sint idem cum spirare non solum re absoluta, sed etiam re relata, sequitur quod generare & generari sint idem inter se non solum re absoluta, sed etiam relata, & ita essent penitus idem, quod est absurdum cum opponantur inuicem, ergo illud est absurdum ex quo sequitur, scilicet quod spirare sit idem realiter cum generare & generari vt ipsi ponunt.

18 Quinto sic, ab vna actione nõ possunt esse immediatæ duæ passionēs, sed generari & spirari sunt duæ passionēs vel emanationes dictæ passiuæ, ergo non possunt esse ab vna actione immediatæ, sed generari immediatè est à generare, & spirari est immediatè à spirare, ergo generare & spirare non sunt vnica actio realiter differentes sicut & passionēs eis correspondent.

19 Sexto sic, impossibile est esse eandem relationem producentis & producti etiam si idem sit produens & productum respectu diuersorum, verbi gratia dato q̄ Spiritus sanctus esset filius filii (sicut cõtingit in humanis eundem hominem esse patrem & filium respectu diuersorũ) tamen alia esset relatio qua diceretur filius, & alia qua diceretur pater, sed spirare & generari sunt relationes producentis & producti in eodem, scilicet in filio, licet respectu diuersorum, ergo impossibile est q̄ sint vna relatio, sed necessario sunt duæ. Idem autem est iudicium de relationibus & emanationibus, vt dictum est supra.

20 Septimo sic, generare potest esse in patre sine spirare, quia dato etiam quod pater & filius non spirarent adhuc pater generaret & filius generaretur, ergo generare & spirare non sunt omnino idem. Item pater producit filium per generare. Si ergo generare & spirare sint omnino idẽ pater produceret filium per spirare, & sic filius esset spiritus, quod est falsum.

21 Octauo sic, duæ res absolutæ & inter se realiter distinctæ nõ possunt esse idem realiter cum aliqua re absoluta, ergo duæ relationes realiter inter se distinctæ (vt paternitas & filiatio) non possunt esse idem realiter cum aliqua relatione (puta cum communi spiratione.) Pater ergo sic quod ista opinio deficit in positione, deficit etiam in rationibus positionis. Et primo quidem in suppositionibus deinde in rationibus deductis ex eis. Prima quidẽ suppositio neganda est, cum directè assumat id quod probare intendit. Assumit enim quod illa que sunt in eodem supposito



posito non possunt differre realiter, hic autem queritur  
vtrum generare & spirare in patre differant realiter.

22. Ad probationes huius suppositionis respondendum  
est ad primam cum dicitur quod vbi cumque sunt plura realiter  
distincta quorum quodlibet est per se subsistens, ibi sunt  
plura supposita. Dicendum, quod huic maiori est adden-  
dum quod quodlibet illorum fit incommunicabile, nam in  
definitione personae ponitur quod est incommunicabilis,  
spiratio autem actiua est communicabilis pluribus, videli-  
cet patri & filio, propter quod non est distinctum supposi-  
tum seu distincta persona a patre & filio in quibus est.

23. Secundo, quia si intelligitur in minore propositione  
quod vbi cumque sunt plura realiter distincta quodlibet eorum  
est per se subsistens, falsum quidem est, quia non est nisi  
vnum subsistens in diuinis & est absolutum vt probat Aug. 7.  
de Trin. quauis enim suppositum diuinum sit illud quod  
subsistit, tamen per aliud formaliter est suppositum diui-  
num & per aliud subsistit. Est enim formaliter supposi-  
tum per proprietatem relatiua per quam distinguitur ab  
aliis suppositis, sed subsistit per solam essentiam vel subs-  
stantiam quae est vna numero & indistincta in omnibus  
propter quod esse subsistens nihil facit ad pluralitatem seu  
distinctionem suppositorum diuinorum, sed ad opposi-  
tionem incommunicabilitatis.

24. Tertio quia relationes in quantum distinguunt perso-  
nas formaliter non subsistunt nec personae per eas, alio-  
quin essent ibi plura subsistentia, sed personae sunt quae subs-  
sistunt, ratio autem per quam subsistunt est sola essentia.

25. Ad secundum dicendum quod minor assumit quod  
queritur quando dicit quod haec est vera, paternitas est  
communis spiratio, vel quod filiatio sit communis spira-  
tio, hoc etiam negant qui tenent oppositum, & prima facie  
apparet cuiuslibet esse negandum.

26. Ad tertium dicendum quod non est simile de essentia res-  
pectu relationum & de comuni spiratione respectu pater-  
nitatis & filiationis, quia essentia est quid absolutum,  
communis autem spiratio est relatio, magis tamen implicat  
oppositum quod vna relatio sit duae relationes quae per vnum  
absolutum sit plura relata quanquam vtrumque sit ad intelli-  
gendum nimis difficile, adhuc essentia diuina secundum  
rationem suam & absolutorum suorum est infinita, pro-  
pter quod potest plures relationes cum sua vnitatem inclu-  
dere, sed nulla relatio secundum propriam rationem rela-  
tionis est finita vel infinita (vt alias efficaciter probatum  
est.) Et ideo vna relatio non potest sic includere intrinse-  
ce & identice plures relationes sicut essentia, de differen-  
tia etiam essentiae diuinae & relationum dicitur infra dist.  
23. vbi ostenditur quod non differunt solum secundum con-  
ceptum nostrum nec secundum differentiam nominum,  
sed ex natura rei, quae differentia vtrum debeat dici realis  
vel non, patebit postea.

27. Secunda etiam suppositio similiter calumniam pa-  
titur, licet enim in diuinis non sit distinctio secundum sup-  
posita nisi per relationes oppositas vt satis deductum fuit  
prius, dist. 11. tamen in eodem supposito est aliquorum rea-  
lis distinctio per disparata. Et quod arguitur contra hoc,  
dicendum est ad primum per interemptionem minoris.  
Non enim sunt impossibilia in eodem supposito quae-  
cumque realiter distinguuntur, vt statim supra declara-  
tum est.

28. Ad secundum respondendum est concedendo maiorem  
& interimendo minorem. Et ad autoritatem Anselmi cum di-  
cit quod persona producta communicat personae productae  
omne illud in quo ei non opponitur, dicendum quod hoc  
est intelligendum de aliis a proprietate personali, illa  
enim semper est incommunicabilis sicut persona dicit quid  
incommunicabile. Omnia autem alia sunt communica-  
bilia, quae tamen realiter differunt in eodem supposito ab  
eo quod est incommunicabile. Ex his de facili soluentur  
rationes probantes quod spirare sit idem realiter cum ge-  
nerare & generari. Omnes enim assumunt vnam de praedi-  
ctis falsis suppositionibus: scilicet quod ea quae sunt in  
eodem supposito non possunt differre realiter, aut quod  
in diuinis nulla sit realis distinctio nisi per oppositiones  
relatiuas, vt patet inuenti rationes adductas.

29. Ad tertiam rationem sumptam ex dictis conciliis ad  
quam confugiunt alii rationibus totaliter eis deficientibus,  
respondendum est, & dicendum quod illud concilium non  
condemnat expresse nisi quaternitatem personarum con-  
comitativam, tamen condemnat quaternitatem rerum inter per-  
sonas & essentiam, sed quaternitatem realem relationum realem  
inter se non condemnat nec expresse nec concomitativam,  
quod non condemnetur expresse nisi quaternitas perso-  
narum, patet sic, intelligentia dictorum ex causis est affu-  
menda & dicenda secundum Hilarium & recitatur extra de  
regulis iuris. Causa autem edendi illam constitutionem fuit  
error Ioachim qui reprobatur ibi quantum ad duo, quorum  
vnum ipse ponebat, videlicet quod pater & filius & Spiri-  
tus sanctus non sunt vnum in essentia & in natura nisi col-  
lectiue, sicut multi homines sunt vnus populus: & multi  
fideles vna Ecclesia. Quod videbatur probare per multas  
autoritates scripturas vt clare patet inuenti textum illius  
decretalis. Et hic error ibi condemnat. Aliud autem  
imponebat Magistro sententiarum qui dicit in suis sen-  
tentiis quod quadam summa res est pater & filius & Spiri-  
tus sanctus, & illa non est generans neque genita neque pro-  
cedens, vnde ex hoc assumebat Ioachim quod Magister  
sententiarum non tam trinitatem quam quaternitatem ascribebat in  
Deo videlicet tres personas & illam communem essentiam  
quasi quartam, haec sunt verba decretalis de quibus appa-  
ret quod ille imponebat Magistro sententiarum quod ipse  
ponebat quaternitatem personarum. Nam secundum in-  
tellectum suum videbatur sibi quod quantum dicitur pater  
a filio & vterque a Spiritu sancto, quia vnus est generans  
& non genitus, alius non generans sed genitus, tertius nec  
generans nec genitus sed procedens: tantum differat  
essentia communis quae non est generans vt pater, nec ge-  
nita vt filius nec procedens vt Spiritus sanctus a quolibet  
illorum & ab omnibus simul, vnde textus decretalis statim  
allegatus dicit quod ipse assererat quod Magister Petro non  
tam trinitatem quam quaternitatem ascribebat in Deo. & ex-  
ponit quale videlicet tres personas & essentiam quasi quar-  
tam, ad quod referret illud quartam etiam quae ad personam  
de qua immediatim praemiserat tres personas, sed textus non  
addidit & essentiam quasi quartam personam, quia ex pra-  
cedenti clare intelligebatur, & quia clausula dictaminis  
obuiebat. De hac autem quaternitate personarum excu-  
sat decretalis magistrum, Petro sic dicens, nos autem sa-  
cro approbante concilio credimus & confitemur vna  
cum Petro quod vna quaedam res est incommunicabilis qua-  
dem & ineffabilis Pater & Filius & Spiritus sanctus tres  
simul personae ac sigillatim quaelibet earumdem. Et ideo in  
Deo solummodo ternitas est & non quaternitas, haec sunt  
verba decretalis. Ecce qualem trinitatem affirmat, scilicet  
ternitatem personarum quae exprimitur, & consimilem qua-  
ternitatem negat, nec expresse potest aliud haberi ex di-  
cta decretali considerando tam causam concilii in hoc casu  
quam verba decretalis. Satis enim rationabiliter diceret-  
ur quod per verba decretalis quibus dicitur quod in deo  
solummodo est ternitas, & non quaternitas referatur terni-  
tatis ad vnum scilicet ad ternitatem personarum prout  
ibi exprimitur, & quaternitas referatur ad aliquid am-  
plius quantum est ex vi verborum: Et sic patet quod ibi  
non condemnat expresse nisi quaternitas personarum,  
verumtamen condemnat ibidem concomitativam qua-  
ternitas rerum inter personas & essentiam, quia cum essen-  
tia includatur intrinsece in persona & verificetur de ea &  
e conuerso dicendo quod pater est essentia & essentia est  
pater & sic de aliis personis, essentia non potest ponere  
in numerum rerum cum quacunque persona quae est de  
intranseitate reali cuiuslibet personae, propter quod sicut  
non est inter personas & essentiam quaternitas personarum  
sic nec quaternitas rerum. Sed quia vna relatio non  
includitur in intranseitate alterius nec de pluralitate rela-  
tionum diuinarum se intermisit concilium: quinimo om-  
nes doctores fatentur quatuor relationes reales esse in  
diuinis, ideo nec directe nec expresse nec concomitativam  
condemnat ibi quaternitas realem relationum: &  
dicere oppositum est adinuentio irrationalis, cum solen-  
nes doctores quos non latuit praedicta decretalis posue-  
runt quod paternitas & communis spiratio differunt in  
patre realiter.

p. d. 1. q. 3.  
287. 12.



30 Item aduertant illi qui friuola & leui ratione volūt probare quod illa decretalis, damnamus, excludat quater nitatem realium relationum quā efficaci ratione conuincimus, eos eam in hoc malē intelligere, quia constat quod diuina spiratio quædā relatio realis est & vnica sicut concilium generale Lugdunen. dēterminat extra de summa trinitate & fide ca. c. fidei lib. 6. Ex quo sic arguitur: sicut se habet absolutum ad absoluta ita relatio ad relationes, sed essentia diuina vna existēs quantumcūq; sit infinita non potest esse eadem realiter cum pluribus absolutis realiter inter se differentibus imō hoc ponere esset contradictō, ergo fortiori ratione spiratio actiua existens vnica relatio vt iam patet ex determinatione cōcilii, quæ etiam vt relatio est non est infinita simpliciter, alioquin essent plura infinita simpliciter & plures infinitates nō possunt esse eadem realiter cum paternitate & filiatione quæ sunt plures relationes inter se realiter differentes, & sic isti male exponentes concilium primū impingunt in secundum, vnde credo quod de differentia relationum disparatarum nihil est determinatum per quodcūq; concilium, sed est materia opinabilis & pro & contra, & quod cum determinatione vltimi concilii Lugdunen. magis concordat opinio ponens eas differre realiter quā opposita, veruntamen si etiam Romana ecclesia eius est concilia condere & interpretari, determinaret certam personam in hac materia vel in quacūq; alia tangente fidem vel bonos mores illam partem absq; vlla hæsitatione vellem tenere. Et si quid docui vel scripsi vel in posterum docuero vel scripsero cuius oppositum prædicta sancta Romana ecclesia diffiniuerit vel diffinit esse sentiendum, illud reuoco & volo pro reuocato haberi. Interim cum opinionibus doctorum disputans.

31 Quod vero postea probat quod generari & spirari differunt realiter verum quidem est sed non bene probatur: ostensum enim fuit satis diffusē in præcedente distinctione quod Spiritus non est per se directē à genito vel à generante vt isti dicunt, sed indirectē & cōcomitatuē & illud facit quod differant secundum suppositum sine qua differentia adhuc possent differre realiter si essent in eodē supposito sicut generare & spirare, & hoc tantum dictum sit de secundo.

32 NVNC RESTAT tertium, scilicet vt declaratur veritas questionis. Est ergo intelligendum quod generare & spirare realiter differunt, similiter generari & spirari. Ratio autem huius differentie non est sumenda ex parte suppositorum, tum quia in diuersis suppositis inuenitur aliquid vnum & idem numero vt essentia diuina & communis spiratio in patre & filio. Et rursus in eodem supposito sunt plura quæ realiter differunt, tum quia supposita non possunt esse prima distinguētia. Cuius ratio est, quia prima distinguētia debent differre se ipsis & secundum se tota, quia si in aliquo cōuenirent & in aliquo differrent, non essent primæ differentie, sed constitutæ ex primis differentiis cum aliquo alio, sed supposita non differunt secundum se tota, sed conueniunt in aliquo, ergo non sunt prima distinguētia, nec ex diffinitione eorum sumenda est causa & ratio distinctionis aliorum licet aliqualē argumentum distinctionis quandoq; possit sumi ex his tanquam à posteriori.

33 Item nec ratio distinctionis processionum vel relationum (quia idem est iudicium in re vt prius dictum est) totaliter sumenda est natura oppositionis, quia licet omnia opposita sint distincta, tamē nō omnia distincta sunt opposita, neq; in formis absolutis neq; in relationibus, vt patet in creaturis. In plus enim est distinguētia quā opponi. Cum ergo relationes secundū proprias rationes maneāt in diuinis, poterit inueniri in eis aliqua distinctio quæ non erit ratione cuiuscūq; oppositionis sicut est inter paternitatem & communem spirationem, vel inter generare & spirare.

34 Et si queratur ratio distinctionis istorum, dicendum qd seipsis distinguūt & nō per aliud, alioquin esset abire in infinitum, sed huiusmodi relationes sunt quædam prima simplicia, ergo seipsis distinguuntur & non per aliquid aliud, veruntamen in his est quædā varietas, quia omnes relationes seipsis differunt adinuicem realiter, sed quædā specialiter differunt secundū supposita & illæ sunt tantum

inter quas est oppositio directē, vt est inter generare & generari & similiter inter spirare & spirari, vel inter quas est oppositio indirectē & concomitatuē sicut inter generare & generari, ex vna parte & spirari ex alia vt declaratum fuit in præcedente dist. ita qd oppositio nō est eis ratio distinctionis realis simpliciter, se tantum illius quæ est secundum suppositū specialiter propter impossibilitatē oppositorum in eodem supposito. Sic ergo patet quomodo differunt processionēs & relationes diuina.

35 AD PRIMVM Argumentum dicendum qd non est simile de communicatione naturæ in Deo & in creaturis, quia sicut ex illimitatione naturæ diuinæ est qd ipsa numero vna existens possit esse in pluribus suppositis, sic ex eodem conuenit ei quod communicetur emanationibus diuersis, hæc autem illimitatio non conuenit naturæ creatæ quantumcūq; sit perfecta.

36 Ad secundum dicendum qd distinctio processionum est ex parte relationū vel potius ipsarum relationū cum sint idem realiter processionēs & relationes. Et cum dicitur qd in diuinis omnia sunt idē vbi non obuiat oppositio relationis, dicendum quod Boëtius loquitur de sola identitate quo ad suppositum, inter autem processionēs est oppositio indirectē & concomitatuē. Et ideo differunt secundum suppositū, sed inter productiones actiuas vt sunt generare & spirare, non est oppositio propter quod licet differant realiter non tamen secundum suppositum.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Spiritus sanctus possit dici ingenuus.

*Tho. 1. q. 33. ar. 4. c. infra d. 28. q. 1.*

Tertio queritur vtrum Spiritus sanctus possit dici ingenuus. Et videtur quod sic, quia plus distat à ratione generationis pater quā Spi. san. quia Spi. san. nec generat nec generatur, pater autem & si non generatur tamen generat, sed ingenuus negat vel priuat generationē, ergo verius potest dici Spi. san. ingenuus quā pater.

2 Item in litera, & est Hieronymi dicitur quod omne quod est aut est ingenuum aut genitum aut factum, sed Spi. san. nec est genitus nec factus, igitur est ingenuus.

Item ad negatiuam de prædicato finito sequitur affirmatiua de prædicato infinito cum constantia subiecti. Sequitur ergo Spi. san. nō est genitus: ergo est ingenuus vel non genitus quod est idem.

3 IN CONTRARIVM est quod dicitur in litera quod solus pater est ingenuus. Et Aug. 15. de Tri. ca. 26. dicit quod cum Spi. san. genitum non dicamus, dicere tamen ingenuum nō audeamus, ne in hoc vocabulo duos patres in Trinit. vel duos qui non sunt de alio quispiam suspicetur.

4 RESPONSIIO. Duo videnda sunt. Primum est qualiter ingenuum sumatur in diuinis vtrum negatiuē an priuatiuē. Secundum erit cui competat esse ingenuum & cui non. Quantum ad primum sciendum quod ingenuum non potest sumi purē negatiuē, quia illa quæ sunt purē negatiua possunt verificari tam de ente quā de non ente (vt non lapis verificatur de homine & chimera) sed ingenuum non potest verificari de nō ente, hæc enim est falsa chimera est ingenua sicut ista chimera est iniusta, ergo ingenuum non potest sumi purē negatiuē, restat ergo quod sumatur priuatiuē. Sed tunc occurrunt dubia quia priuatio est remotio alicuius apti nati à subiecto, sed in diuinis nihil est aptum natum esse quod ibi non sit, nec amoueri potest quia quicquid ibi esse potest necessario est ergo nihil potest dici in diuinis priuatiuē, propter hoc notandum est quod priuatio ad præsens tripliciter dicitur sicut apparet ex 5. metaph. ca. de priuatione. Dicitur enim vno modo aliquid priuatum propriissime quando nō habet quod aptum natum est habere secundum propriam speciem sicut homo carens visu dicitur cæcus propriissime quando non habet quod aptum natum est habere.

5 Secundo modo dicitur aliquid priuatiū quando non habet illud quod natum est habere non secundum suam speciem, sed secundum suum genus, vt pote quia illud inuenitur in aliquo sui generis vt talpa dicitur cæca quia non habet visum qui natus est haberi ab aliquo sub genere animalis licet non à specie talpæ.

*Vide Ricard. d. 13. q. 4. ad tertium in oppositum.*